



A D
L E C T O R E M.

Quas pridem ex Latinis historicis
excerpserant Orationes Ioachi-
mus Perionius & Henricus Ste-
phanus, iterum tibi damus, Le-
ctor, sed recognitas recensitasque.
Quasdam enim addidimus, quae ante perperam
omissa erant; quasdam vero expunximus etiam,
ne quid hic extaret, nisi quod praestantissimum
luculentissimumque foret. Enimvero Salustii,
Liviique, & Taciti ac Curtii Orationes in ho-
norem historiarum leguntur. Adeo multum &
civilis prudentia & facundia continent. Quae
autem apud Capitolinum, Lampridiumque &
ceteros id genus scriptores occurrunt, ea & se-
sequioris aevi sunt, & fere genium non habent.
Quare illas omittere satius fuit. Quin &
ipsius Livii quasdam expunximus, quae in po-
stremis libris erant, in quibus ita friget jacetque
ille autor & penitus sibi dissimilis est, ut nihil
minus quam Livium agnoscas. Quanta ex hoc
opere utilitas ad eos redundare possit, qui Rei-
publicae regundae scientiam conjungere cum suc-
cincta quadam & efficaci vi dicendi cupiunt,
ostendet doctissimi viri Iobi Veratii dissertatio,
quam subjunximus. Vale.